MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81172-16

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

HEMMERLING, J.

TITLE:

SOPHOCLES QUO IURE HOMERI...

PLACE:

KOLN AM RHEIN

DATE:

[1869]

Master Negative #

93-81172-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88SD
Z8 Hemmerling, J
v.3 Sophocles quo iure Homeri imitator dicatur,scripsit J.Hemmerling...[Köln am Rhein, druck von J.P. Bachem, 1869]
21 p. 24 cm.

On cover: Jahresbericht über das K. Katholische gymnasium an Marzellen zu Köln...

143405

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13 1/3 x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-17-93 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



88SD Z8 3
Columbia University
in the City of New York
LIBRARY

no.1
88SD
Z8

Jahresbericht

über das

Königliche Katholische Gymnasium

an Marzellen

zu

Köln

in dem Schuljahre **1868—1869**.

Herausgegeben

von

dem Director des Gymnasiums

Philipp Jakob Ditges.

Vorausgeht eine Abhandlung des Oberlehrers Hemmerling:

„Sophocles quo iure Homeri imitator dicatur."

Sophocles and Homer

Köln am Rhein.

Druck von J. P. Bachem, Verlags-Buchhändler und Buchdrucker.

88SD
Z8
v.3

SOPHOCLES QUO IURE HOMERI
IMITATOR DICATUR.

SCRIPSIT

J. HEMMERLING,

GYMN. COLON. CATH. AD S. MARCELLUM SUP. ORD. COLLEGA.

Sophocles quo iure Homeri imitator dicatur.

Si consideramus, quanto in honore et admiratione parens ille poesis, Homerus, apud Graecos fuerit, quem cum omnium divinarum humanarumque rerum, tum dicendi artis praeceptorem habuerint optimum, mirum nobis videri non potest, quod postea plurimi graecorum scriptores ex hoc perenni fonte[1]) hauserunt et divinum poetam, qui omnibus, ut ait Quintilianus,[2]) eloquentiae partibus exemplum et ortum dederit, ad imitandum sibi proposuerunt. Quorum in numero non solum inveniuntur, qui perverse ac ridicule vestigia eius prementes plagiarii potius, quam imitatores vocandi sint, castigati illi lepido Polliani epigrammate,[3]) sed etiam praestantissimi et clarissimi scriptores tam solutae, quam vinctae orationis, de quorum ingenio nemo facile dubitaverit. Ut taceam de Arctino Milesio, prisco illo epici carminis artifice, qui a Suida (s. v. *Ἀρκτῖνος*) *Ὁμήρου μαθητής* appellatur, ceterisque antiquissimae aetatis Homeri imitatoribus, qui eius exemplo incitati omnes illas fabulas, quae ad Troiam captam pertinent, versibus sunt persecuti, etiam posteriore aetate tot tamque varii generis scriptores Homeri discipuli fuisse perhibentur, ut, quomodo in uno hoc poeta imitandi materiam invenire potuerint, iure mireris. Nam ut Dionysii Longini verbis utar (*περὶ ὑψους*, XIII, 7), *Ἡρόδοτος Ὁμηρικώτατος ἐγένετο, Στησίχορος ἔτι πρότερον ὅ τε Ἀρχίλοχος, πάντων δὲ τούτων μάλιστα ὁ Πλάτων ἀπὸ τοῦ ὁμηρικοῦ νάματος εἰς αὑτὸν μυρίας ὅσας παρατροπὰς ἀποτειχισάμενος.* Imprimis autem in tragicis poetis Homeri imitandi studium a veteribus cognitum est. Atque Aeschylum quidem Aristophanes (Ran. 1034) ipsum dicentem facit, a divino illo Homero se edoctum esse *τάξεις, ἀρετάς, ὁπλίσεις ἀνδρῶν*, et Athenaeus (Deipnos. VIII, p. 347, e §. 10) eundem inducit ingenue profitentem, *τὰς αὑτοῦ τραγῳδίας τεμάχη εἶναι τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων.* Quin etiam Euripidi, cuius ingenium a priscae vetustatis admiratione quam maxime abhorrere videatur, a scholiastis *ζῆλος ὁμηρικός* tribuitur.

Sed hi omnes quos dixi Homericae poesis imitatores, licet nonnulli haud parvam sive rerum, in quibus versantur, sive orationis, qua utuntur, similitudinem prae se ferant, comparari

---

[1]) Cf. Ovid. Am. III, 9, 25.
[2]) Quintil. instit. orat. X, 1, 16.
[3]) Fr. Jacobs Del. epigr. graec. VI, 84.

non possunt cum eo, quem praeter ceteros Homeri vestigia secutum esse veteres consentiunt, cum Sophocle. De quo cum plurima exstent eorum testimonia, e quibus satis erit hoc loco Eustathii mentionem facere, qui eum *φιλόμηρον* [4]) alioque loco *ζηλωτὴν Ὁμήρου* [5]) appellat, et vitae Sophocleae auctoris, qui testatur [6]) *εἰπεῖν Ἴωνα* [7]) *μόνον Σοφοκλέα τυγχάνειν Ὁμήρου μαθητήν*, non alienum fore arbitror, quid spectantes hunc praecipue Homeri imitatorem dixisse putandi sint, paucis exponere. Nam etsi in hac quaestione, quae et per se multum habeat delectationis et ad Sophocleam Musam accuratius cognoscendam nequaquam sit inutilis, multi iam viri doctissimi diligenter versati sunt, [8]) tamen, quae illi hac de re disputaverunt, non ita aut certa et explorata mihi videntur aut omnibus numeris perfecta et expleta, nihil ut addi aut demi possit eiusdemque loci recognitio prorsus supervacanea sit habenda.

Priusquam autem rem ipsam aggrediar, ut, quomodo eam tractaturus sim, melius cognoscatur, primum illud moneo cavendum esse, ne in eum errorem incidamus, in quem alios incidisse video, ut similitudinis illius investigandae studio abrepti, quae ad omnes poetas, qui Homeri discipuli vocantur, pertinent, de uno Sophocle praedicemus. Nam multa sunt non tam huius propria, quam omnibus quos supra commemoravi scriptoribus communia. Cum enim immortalis poetae, quem omnes et avitae gloriae praeconem et paternae linguae fontem admirarentur, carmina praeclarissima per totam Graeciam divulgata essent atque non solum diebus festis splendidissimisque ludis recitarentur, sed etiam pueris adolescentibusque litterarum studiosis discendi materiam praeberent, fieri non potuit, quin ita in omnium aures influerent ac mentibus inhaererent, ut eorum, qui ad scribendi studium se conferebant, nemo facile inveniretur, ad quem non tanti exempli auctoritas pertineret. Imprimis autem dicendi genus Homeri vel vetustiorum etiam poetarum ingenio ita excultum et quasi fixum et stabilitum ad posteros manavit, ut omnibus, quotquot artem poeticam factitabant, sive epicae, sive lyricae, sive dramaticae poesis genus amplectebantur, epicae quae vocatur dialecti usus communis esset. Ex quo efficitur, similitudinem illam, quam inter Homerum et Sophoclem intercedere veteres consentiunt, non tam in sermonis, quo uterque usus est, natura et proprietate, quam in rebus ipsis earumque tractatione positam esse totiusque huius disputationis cardinem in eo verti, ut, quaenam argumenta Sophocles ex Homeri carminibus sumpserit et quomodo ea tractaverit, ut praeter ceteros cognomen *φιλομήρου* consequeretur, demonstrandum esse videatur.

§. I.

De argumentis a Sophocle ex Homero petitis.

Memorabilis exstat Platonis in republica locus, [9]) quo Homerus omnium poetarum, quos Graecia tulit, *τραγικώτατος* appellatur. In eandem sententiam Diogenes Laertius Homerum

[4]) Eustath. ad Hom. p. 198, 4; 645, 16; 756, 17; 1140, 26 aliisque locis.
[5]) p. 514, 45; 1083, 17.
[6]) p. XXIII. ed. Schaeferi; apud Dindorfium in scholl. II, p. 6, Fr. Ritterum in Didymi Chalcent opusc. p. 152.
[7]) Sic recte mihi videtur coniecisse Bergkius in edit. Soph. p. XXXVII, not. 149 pro: *Ἰωνικόν τινα*, quod olim legebatur.
[8]) Cf. inprimis Wiedemanni comment. de Sophocle imitatore Homeri in progr. Gorliciano 1837. — Franc. Wuellneri comment. de Soph. *φιλομήρῳ*, quam edidit a. 1828 in Zimmermanni diariis universae rei scholasticae p. 1105—1107. — Max. Lechneri comm. de Sophocle poeta *Ὁμηρικωτάτῳ*, Erlang. a. 1859.
[9]) Plato de rep. I, 10. 595 C, 598 D, 609 A. cf. Theaet. I, 152 E.

ἐπικὸν Σοφοκλέα, Sophoclem *Ὁμήρου τραγικόν* dicere non dubitat. [10]) Assentiuntur recentiores. Quicunque enim de Iliadis et Odysseae argumentis disputaverunt, in his carminibus tragicam quandam, ut nos dicere consuevimus, *ἰδέαν* exhibitam et illustratam esse contendunt, conspicuam illam non solum in tota utriusque carminis compositione, sed etiam in singulis, quibus constant, partibus. Nam cum omnia, quae ab Homero narrantur, aut ad miserabile Troiae excidium pertineant aut ad flebiles illos labores, quos Graecorum duces sub moenibus urbis obsessae vel domum redeuntes exantlaverunt, tum eos, qui primarias in eius carminibus partes tuentur, fatali quadam necessitate constrictos summisque laboribus ac periculis implicitos esse videmus, quae culpa aliqua commissa subeunda eis erant, ut aut finem, quem sibi proposuerant, consequerentur aut officia neglecta vel leges divinas violatas morte luerent. Similem esse rationem eius carminis, quod nobis ex media quae dicitur aetate relictum mirifica narrat de veterum Germanorum principibus omni laude insignibus, de magnis eorum laboribus, periculis, oblectationibus, solemnibus ludorum, fletibus, lamentationibus deque atrocibus fortium virorum dimicationibus, quis est, quin videat? Huiusmodi rebus nihil efficacius est ad misericordiam in animis legentium excitandam; neque incommode inter se comparantur ingenia Graecorum et Germanorum, qui utrique poetas audire gestiant canentes de interitu omnium, quae pulchra et praeclara habentur, de summa hominum et voluptate et sollicitudine, qua animi anguntur et conficiuntur, de tenero amore cruentaque ultione. Atque illam humanarum virium cum necessitate pugnam, divinitus illam ob insolentiam vel errores fortissimis viris impositam, quam vere tragicam dicas, ab Homero in carminibus suis egregie expressam esse, non est quod pluribus hoc loco exponam. Illud intelligi velim totam Homeri narrationem tragicum quendam colorem referre; sed idem apparet ex singulis eius carminum partibus. Possum plurimos ex Homero locos, qui huc spectant, in medium proferre, sed satis est ex Odyssea commemorare pulcherrimam illam Ulyxis recogniti narrationem (*νόστος*), ex Iliade *Δολωνείαν*, ut verum esse, quod dixi, cognoscatur, quibus in narrationibus quantum actionis vere dramaticae contineatur, Gruppius in libro, qui inscribitur Ariadne (p. 275 sqq.), copiose et praeclare exposuit ostenditque in his aliisque huius generis locis heroicum carmen vel imprudente poeta vere dramaticum fieri multasque in Homero rerum ac personarum rationes inesse, quae non magis epici, quam tragici carminis naturae convenirent.

Quae cum ita sint, cum tanta in divino poesis parente tragicorum argumentorum copia quasi congesta reperiatur, consentaneum est, eum mirum quantum ad excitandam artem tragicam valuisse. Atque profecto hic fons fuit uberrimus, e quo huius generis poetae hauserunt, hic amplissimus campus, in quo tragoedia excucurrit. Quamquam ea non statim velut Minerva ex Iovis capite, adulta omnibusque ad capiendos audientium animos armis instructa in conspectum prodiit. Priusquam enim eiusmodi argumenta Homeri arte tam egregie praeparata totamque eius contemplandi sentiendique rationem in se recipere et quasi in succum et sanguinem convertere posset, sensim, ut par est, nec sine labore ex iis, e quibus enata erat, initiis per plures tanquam perfectionis gradus perducenda erat, donec ad summum, quod assequi potuit, fastigium perveniret. Idque post longum demum temporis spatium, lyrica poesi perfecta, evenisse scimus. Sed licet ex hoc poesis genere tragoediae

[10]) Diog. Laert. in vita Polem. l. IV, 3, 7 ed. Cobet.

origo proprie repetenda sit, tamen a veritate non aberrare videmur, si Homerum tragicae artis principium et fontem fuisse contendimus. Quod quam late pateat, eo magis intelligetur, si meminerimus Homeri nomen non solum ad Iliadis et Odysseae carmina, sed ad totum quem vocant cyclum epicum pertinere, utpote non paucis veterum testimoniis Homero auctori adscriptum. [11]) Constat enim omnibus fere carminibus, quae quidem in Troicis et Thebaicis fabulis versabantur, saepe nomen inditum fuisse Homericis. Quod si respicimus, quantus praeclarissimorum argumentorum numerus posterioris aetatis poetis patebat in promptuque erat, quae ad suae artis leges conformarent!

Ex his quae diximus apparet omnes eos, qui Homeri imitatores vel discipuli appellentur, poetas tragicos praecipue eam ob causam hoc nomen invenisse, quod res, in quibus enarrandis versantur, ex eo petierunt, idque non solum Sophoclem, sed etiam Aeschylum et Euripidem iure sibi vindicare. Verumtamen quaerendum puto, quasnam potissimum Sophocles ex tanto pulcherrimarum fabularum, quas Homerus carminibus suis illustravit, copia in suum usum converterit. Nam si non solus quidem, at longe plurima ex hoc fonte argumenta repetiisse invenietur, id quod volumus iam aliqua certe ex parte effecisse videbimur.

Iam si singulas Sophoclis fabulas percensemus, quantum quidem ex deperditarum titulis coniicere licet, tantus est earum numerus, quae ex Homero i. e. ex epico cyclo desumptae sunt, ut praeter paucas quasdam omnes ex Homerico fonte manasse iure dixeris. Ex aliis enim hae fere fabulae haustae sunt: Triptolemus, Erigone, Daedalus, Jon, Creusa, Aegeus, Theseus, Phaedra, Tereus, Procris (cf. Welcker, Tril. Aeschyl. p. 484), parvus sane numerus, si ingentem respicimus fabularum, quae Sophocli auctori tribuuntur, multitudinem. *Ἔγραψε γάρ, ὥς φησιν Ἀριστοφάνης, δράματα ἑκατὸν τριάκοντα· τούτων δὲ νοθεύεται δέκα ἑπτά* (Soph. vita p. 4). Reliquas igitur, quas quidem novimus, ex Homero petitas esse ipsa declarant nomina. Quas ut in ordinem quendam redigamus, singula carmina Homerica, quae argumenta Sophocli praebuerunt, praemittimus. Sunt autem praeter Iliadem et Odysseam hae fere: *Κύπρια, Ἰλιὰς μικρά, Νόστοι, Οἰχαλίας ἅλωσις, ἠβαΐς.* Atque ex Cyprio quidem carmine petiti sunt Palamedes, Ulyxes furens, Helenae raptus sive nuptiae, ex Iliade parva Aiax Telamonius, Philoctetes, Laocoon, Sino, [12]) ex *Νόστοις* Electra et Aiax Locrus, ex *Οἰχαλίας ἁλώσει* Trachiniae, ex Thebaide cyclica Epigoni, Antigone, Oedipus, ut verisimile est, uterque. [13]) Quae supersunt Sophoclearum fabularum nomina, ut Nausicaa, Phaeaces, Convivae, Priamus, Phryges, Teucer, Tyro, Chryses, Agamemno, [14]) et quas *Τρωικῆς πραγματείας* esse scholiasta initio argumenti Aiacis tradit, Antenoridae, Aechmalotides, Memno, e quibus Homeri carminibus desumpta sint, argumenta ipsa

[11]) Cf. Welcker, Trilog. Aeschyl. p. 484. — Grammaticus ille, qui vitam Sophoclis scripsit, utrum ad sola Iliadis et Odysseae carmina retulerit, quae pronuntiat de argumentis, ut M. Lechnero visum est (in comment., quam supra laudavimus, p. 6), an ad universum cyclum epicum, dubitari potest; sed hoc ipsum concedatur; nobis quidem omnino, quo iure Sophocles Homeri imitator dici possit, quaerentibus non hoc spectandum videtur, quid grammaticus ille cogitaverit, sed quae omnino afferri possint ad imitationem illam demonstrandam.

[12]) Cf. Arist. Poët. c. XXIII. — Wuellneri comment. de Poet. Cycl. II, 23, p. 85 sqq.

[13]) Wuellneri comment. de Soph. *φιλομήρῳ*, p. 1108.

[14]) Cf. Brunckii fragm. III, p. 636 sqq.

satis produnt. Quamquam de iis fabulis, quae ex Iliade et Odyssea manaverunt, e duabus gravissimorum scriptorum sententiis mira quaedam oboriri videtur controversia. Nam ille vitae Sophocleae auctor Odysseam in multis fabulis transscriptam esse a Sophocle tradit, id quod ex tota huius carminis natura et compositione facile exspectari posse ipsi supra exposuimus. Aristoteles autem in poetica c. XXIII, quo loco de unitate quam vocant actionis disserit, ob quam recte observatam Homerum praeter ceteros laudat, alios poetas dicit actiones in plures partes divisas versibus illustrandas sumpsisse, ut eum, qui Cypria et qui Iliadem minorem composuerit; quare ex Homeri Iliade et Odyssea unam tragoediam confici posse, ex Cypriis autem et Iliade minore plus quam octo, velut Iudicium armorum, Philoctetam, Neoptolemum, Eurypylum, Ptocheiam, Lacaenas, Ilii excidium, Reditum, Sinonem, Troades. Sed ea difficultas facile potest removeri. Etenim nisi Ritterum sequi volumus, qui in commentario Aristotelis editioni adiecto [15]) omnia interpolationis, ab aliena semidocti hominis manu factae indicia in hoc Aristotelis loco sibi repperisse visus est, ipsa illa iudicia non ita inter se pugnant, ut non utrumque probari posse putem. Nam si primariam quidem Iliadis vel Odysseae actionem spectamus, eam unam et simplicem esse nemo non concedet; quam si tragicus aliquis poeta ad suae artis leges conformare volebat, certe non plus quam unam vel alteram tragoediam ex ea conficere poterat; at cum Homerus in actione illa enarranda ita versetur, ut saepe ab rerum ordine declinet varietatibusque distinguendo opere et episodiis quae a nobis vocantur legentibus velut deverticula amoena quaerat, plura etiam fabularum argumenta ex eius carminibus repeti potuisse, quis est quin videat? Nec ipse Aristoteles id negare voluisse putandus est. Nam ut eius mentem recte assequamur, ea respicienda sunt, quae paullo ante de Homero disputavit. Dicit enim eum cum in aliis rebus, tum in hac vere divinum esse, quod totum bellum Troianum carmine persequi noluerit; nam eam rem futuram fuisse nimiam iustumque carminis modum excedentem, quam nemo facile totam mente potuisset comprehendere; nec vero mediocris ambitus actionem Homerum sibi elegisse rerum varietate distinctam et multiplicem, immo unam belli partem tractandam sumpsisse, sed ita, ut multas narrationes ornandi causa in carmen includeret, quibus totum poema in varias partes divideretur.

Iam ut ad propositum redeamus, illud satis intellectum puto, Sophoclem iam eam ob causam *φιλόμηρον* dici potuisse, quod praeter pauca quaedam, quae supra nominavi, cetera argumenta Homericae originis esse inveniuntur. Neque vereor, ne quis eos audiat, qui non tam Homerum, quam uberrimam illam innumerarum fere fabularum copiam, quae in Graecia inde ab antiquissimis temporibus ferebantur atque in omnium ore et memoria erant, quasi segetem fuisse contendant, unde tragoedia effloruerit. Ipsius enim Homeri et Homeridarum egregia rerum tractatione factum esse constat, ut fabulae illae et in certam quandam eamque pulcherrimam et multitudini gratissimam formam redigerentur et facilius per vulgus diffunderentur.

Verum tamen illud fatendum est, ob solam hanc causam, quod maximam argumentorum partem Sophocles ex Homero petiit, fieri non potuisse, ut honorificum nomen *φιλομήρου* mereret, cum idem Aeschylo, qui tragoedias suas magnarum Homeri epularum frustula quaedam esse ipse testetur, et Euripidi, cuius fabulas satis multas ex eodem Homero

[15]) p. 247 sqq.

depromptas esse sciamus, denegatum sit. Immo maius quoddam multoque gravius fuit, quo Sophocles Homericae imitationis laudem adeptus est. Hoc autem in simili quadam argumentorum tractatione, i. e. in componendi et res ac personas describendi ratione, quae ad Homericam quam proxime accedat, positam esse, age nunc paucis, si placet, demonstrare conabor. Quo autem melius, quomodo Sophocles argumenta illa tractaverit, perspiciamus, disputatio haec ita instituenda videtur, ut primum de universa eius componendi arte, tum de singulis rebus describendis maximeque de personarum, quas effinxit, natura, qualis quidem in iis, quae etiam nunc exstant, fabulis conspicitur, denique de dicendi genere pauca dicamus.

§. II.

De Sophoclea componendi ratione Homericae non dissimili.

Qua potissimum ratione Sophocles in argumentis ab Homero acceptis versatus sit, si quaerimus, hoc maxime dolendum est, quod nobis non licet in iis, quae veteres scriptores de hac re iudicaverunt, excutiendis nostro iudicio uti. Quoniam enim et eae ipsae Sophoclis fabulae, quae vel utilissime hoc loco considerari possent, eas dico, quas ab adolescente poeta compositas imprimis Homerica nomina tulisse vidimus, deperdita sunt nec supersunt Homerica illa carmina, e quibus septem Sophoclis fabulae, quas etiamnunc habemus, haustae sunt, omnis Homericae et Sophocleae compositionis accuratius inter se comparandae potestas nobis adempta est. Quare cum e solis fabularum nominibus nihil coniectura assequi possimus ad id quod quaerimus comprobandum, acquiescendum videtur testimonio Athenaei, qui dicit: [16]) *ὅλα δράματα ποιῆσαι αὐτὸν καταακολουθοῦντα τῇ ἐν ἐπικῷ κύκλῳ μυθοποιΐᾳ*, et vitae Sophocleae auctori, cuius haec sunt verba (p. 4.): *τὸ πᾶν μὲν οὖν Ὁμηρικῶς ὠνόμαζε τούς τε μύθους φέρει κατ' ἴχνος τοῦ ποιητοῦ*. Aeschylum igitur et Euripidem recte statuemus praeter summas rerum, historiarum semina personarumque nomina, nihil ex Homero deprompsisse, cetera ipsos finxisse ex scintilla flammam excitantes. [17]) Sophoclem autem in fabulis ipsis, quales ab Homero vel cyclicis poetis traditae erant, nihil fere immutasse vel novasse. Quod si verum est, per se patet etiam in earum compositione vel *οἰκονομίᾳ*, quae dicitur, Homericam artem et simplicitatem ab eo servatam fuisse. Vix enim quisquam in argumentis Homeri vestigia secutus esse dici potest, nisi idem eorum dispositionem, quantum quidem per ipsius poesis, cui operam dat, naturam licet, summa fide retineat.

Verumtamen aliqua saltem ex parte, qualis Sophoclea componendi ratio fuerit et quatenus in iis, quae nobis superstites sunt, fabulis Homerica esse videatur, cognoscere possumus ex eius cum Aeschylo et Euripide comparatione. Scimus enim Aeschylum, cum unius mythi descriptionem trium tragoediarum complexu, quae *τριλογία* vocatur, absolveret, res non uno tenore continuatas, sed intervallis quibusdam secretas et in maiores partes divisas exhibuisse. Capita tantum earum rerum, quae totum efficiunt, ante oculos ponit; singula quomodo ex se nascantur ac paullatim progrediantur, quaeque causae hunc illumve rerum exitum adducant, spectantium ingenio et cogitationi relinquit. Quodsi talem componendi rationem omnino magis epicam dixeris, propterea quod singula rerum personarumque momenta, gravissima

[16]) Athen. Deipnosoph. VII, 3. p. 277.
[17]) Cf. Herm. opusc. II, p. 266.

ea quidem et insignia, sed minus aperte unius finis respectu exhibita proponuntur, altera tamen ex parte chori cantus apud Aeschylum tam crebri et extensi sunt, ut tragoediae eius lyricam originem permultum etiamtum redoleant. Quare Aeschyli fabulas ab ea, quam in huiusmodi poematis requirimus, concinnitate longius abhorrere negari non potest. Veram dramatis naturam tragoedia induit ingenio Sophoclis, qui percepta ea, quam supra descripsimus, Homerica componendi arte iustum et dialogi et canticorum modum invenit. Omisso enim totius trilogiae consilio (*ἦρξε γάρ*, ut ait Suidas, *δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν*) unam tantummodo fabulae alicuius partem tractandam sumpsit et, quam in angustiores fines coarctavit externam fabulae amplitudinem, apta et concinna rerum dispositione compensavit. Qua re effecit, ut rerum ordo et progressus dilucidius appareret et singularum personarum mores *ψυχολογίας* legibus convenienter possent describi.

Tali autem argumentorum tractatione chori partes arctioribus quibusdam finibus circumscribendam fuisse, vix opus est monere, nisi quendam invenerim, [18]) qui, cum Sophoclem chori partes ita cum actione coniunxisse docuerit, ut quasi unus ex actoribus parsque esset totius (quod quidem per se verissimum est), hoc ipso sibi effecisse visus est, Sophoclis chorum appellandum esse epicum atque ex Homero depromptum. Eadem enim in Iliade deorum, quae in Sophocle sint chori, ministeria esse vult, eandem cum reliqua narratione artificiosam compositionem, nec deorum concilia Iliadis choros appellare veretur. Sed ne iis, quae is de epico choro fabulatur, diutius immoremur, ad Euripidis cum Sophocle comparationem transeamus, quam paucis absolvi posse puto. Constat enim Euripidem illa aetate, qua mores Atheniensium depravari, summum bonum in voluptate poni et, quidquid institutorum apud maiores in honore fuerat, contemni et labefactari coeptum est, ut auram popularem captaret, cum in aliis rebus tum in argumentorum compositione ita ab Aeschyli et Sophoclis simplicitate abhorruisse, ut non modo tragicam quam dicunt mythologiam repudiaret, sed novas etiam et inauditas fabulas proferre auderet. [19]) Atque ne in his quidem admodum felicem componendi artem comprobavit, sed ipsius Aristotelis, aequi sane huius poetae existimatoris, iudicio, cum ceteris in rebus esset *τραγικώτατος πάντων*, hac in re illis se inferiorem praebuit, quod totum ponere nesciebat; *τὰ γὰρ ἄλλα*, inquit, *οὐκ εὖ οἰκονομεῖ*. [20]) Quod quam verum sit, Euripidea prologorum consuetudine, Aristophanis illa iam pridem derisa facetiis, maxime edocemur, quippe qua, cum fabularum partes tam male dispositae essent, ut, quae rerum et personarum esset condicio, ex ipsa actione parum cerneretur, id efficere studeret, ut rebus melius intelligendis consuleret. [21])

Sophocles contra Homeri instar

„semper ad eventum festinat et in medias res
non secus ac notas auditorem rapit“ [22])

atque, si quisquam, hoc assequitur, ut

„singula quaeque locum teneant sortita decenter“. [23])

[18]) Wiedemann. in progr. Gorl. 1837, p. 10, 11.
[19]) Cf. Welcker. Mus. Rhen. Suppl. II. Sect. 2.
[20]) Arist. Poet. c. XIII, 6.
[21]) Cf. Schlegel, Dramatische Vorles. I, p. 198 sqq. — Gruppe, Ariadne p. 365.
[22]) Horat. ars poet. v. 149.
[23]) Horat. ars poet. v. 92.

Sed in admiranda et praedicanda sapienti et artificiosa Sophoclearum fabularum *οἰκονομίᾳ* gravissimi nostrae aetatis existimatores tam multi sunt, ut de hoc quidem loco plura dicere opus non sit. [24])

Quibus expositis facile apparet Sophoclem tantum distare ab Aeschyleae oeconomiae simplicitate quadam, ne dicam ieiunitate, quantum ab Euripidis in tragoediis apte conformandis levitate et negligentia, ac iure quodam nobis contendere licere, sive ad aptam rerum dispositionem animum advertamus, sive ad affectuum varietatem, quibus fabulae eius distinctae sunt, ubique Homeri quandam imitationem conspici. Quam si in totarum fabularum compositione magnam fuisse vidimus, multo apertius tamen in singulis partibus, imprimis in personarum describendarum ratione cognoscimus.

§. III.

Quatenus Sophocles in singulis rebus maximeque in personarum moribus describendis Homero similis sit.

In singulis rebus describendis quomodo Sophocles Homeri vestigiis ingressus sit, quamque recte dixerit grammaticus ille eum etiam in sententiis Homericam effinxisse gratiam (*καὶ τοῖς ἐπινοήμασι τεχνικῶς χρῆται, Ὁμηρικὴν ἐκματτόμενος χάριν*), si tam copiose, quam rei ipsius gravitas postulat, exponere documentisque confirmare velim, vereor ne plura mihi afferenda sint, quam huius libelli fines patiantur. Itaque ea, quae hoc loco dicenda sunt, paucis significare, quam accuratius persequi malo, praesertim cum plurima, quae huc spectant, cum ab aliis tum a Lechnero (p. 5 sqq.) allata videam. Mitto leviora, velut Ulyxem Minervae patrocinio adiutum (Hom. Il. X, 278 sqq. Soph. Ai. v. 34 sqq. Phil. 134) eiusque vocem statim agnoscentem (Il. II, 182. Ai. v. 14 sqq. cf. Eustath. p. 198, 4), Aiacem secundum ab Achille heroem (Il. XVII, 279. Ai. v. 1338 sqq.), eius scutum *ἑπταβόειον* (Il. VII, 220. Ai. v. 19. 574) locumque tentorio in extremis castris captum (Il. XI, 7. Ai. v. 2. cf. Eustath. p. 826, 51), Orestem patriam desiderantem (Od. I, 40. El. v. 4); gravior est atque ad similitudinem Homeri et Sophoclis perspiciendam utilior ille locus, qui legitur in El. v. 698 sqq., ubi cursus equestris Pythii imago adumbratur, Homerico certamini Patroclo ab Achille honoris causa instituto (Il. XXIII, 266 sqq.) simillima. [25]) Accedit pulcherrimum illud Tecmessae et Aiacis colloquium, in quo Hectoris et Andromachae ultimam congressionem Sophoclis animo observatam esse manifestum est. Vide, quos infra ex Homero et Sophocle transscripsi versus, etiam sententiarum ac vocum similitudine insignes. Eodem referendae mihi videntur, quae a Lechnero alio loco positae sunt (p. 26), similitudines, ad illuminandam orationem ab utroque poeta adhibitae, velut clara Achillis apud Homerum, Minervae apud Sophoclem vox cum tubae sonitu comparata (Il. XVIII, 219—221. Ai. v. 15—17), metus ac trepidatio columbae imagine depicta (Il. XXII, 139—141. Ai. v. 139 sqq.), Ulyxes et Aiax vulturis instar, qui aves insectatur, ille procos, hic inimicos proturbantes (Od. XXII,

[24]) Cf. imprimis Wuellneri progr. de Aiace; Duesseldorpii a. 1840. — Schlegel, Dram. Vorles. p. 221 sqq. — Gruppe, Ariadne p. 453.

[25]) Cf. Henr. Raspe in quaestionum Sophoclearum part. I, quam Rostochii edidit a. 1843, p. XIV. sqq. et Lechnerus p. 8 sqq.

302—306. Ai. v. 169—171), leonis catulis a venatore orbati imago (Il. XVIII, 318 sqq. Ai. v. 985 sqq.), homo obtruncatus cum arbore, quae caesa procumbit, collatus (Il. XIII, 389 sqq. El. v. 95 sqq.), hominum lacrimae et lamentationes praeclara cum avium maximeque cum lusciniae cantu comparatione illustratae (Od. XVI, 216—18. Ant. 423—25. Od. XIX, 518 sqq. El. v. 147—49. 103 sqq. 1075 sqq.).

Quae omnia cum ad id quod volumus efficiendum vehementer pertineant, multo maioris tamen momenti est illud, in quo vel maxime apparet, quanto studio Sophocles Homerum amplexus sit, morum descriptio. Quae qualis sit, paullo accuratius mihi inquirendum esse video. Atque primum omnium hoc statuendum est, Sophocli in singulis, quas in scenam producit, personis describendis id cum Homero et Aeschylo commune esse, quod omnes eas altiorem quandam perfectionis speciem, quae quidem tragoediae quam maxime convenit, prae se ferentes inducit. Nec vero id ita intelligendum, quasi apud eum tragici homines omnibus numeris sint absoluti. Tales enim, ut iam Aristoteles recte docuit, [26]) idonei non sunt, qui vel misericordiam vel metum excitent. Immo ei, qui in tragoedia primarias partes sustinent, si quidem audientium animi tangendi et commovendi sunt, humanam naturam exuere non debent, sed ut tragicus exitus adduci possit, quamvis ceteroquin boni iustique sint, in errorem culpamve incidant necesse est. Quod igitur dixi, Sophocleas personas vulgarium hominum modum egredi, sic accipi velim, ut illud Sophoclem cum Homero et Aeschylo sapienter fecisse putem, quod eas personas, quae cum fato conflictantur, maioribus, quam quae vulgo sunt, et corporis viribus et animi virtutibus instruxit, quo efficacius in audientium animis vel metum vel misericordiam commoveat. Quod vel maxime ex Sophoclis cum Euripide comparatione intelligitur comprobaturque eiusdem Aristotelis sententia, qui dicit [27]) et Sophoclem et Homerum *μιμοῦσθαι ἄμφω σπουδαίους*, et ex eo, quod idem a Sophocle dictum tradit, *αὐτὸν μὲν, οἵους δεῖ, ποιεῖν, Εὐριπίδην δὲ, οἷοί εἰσιν.* [28]) Hic enim, sicut omnino perversis aetatis suae studiis nimis indulget ac totus ex iis pendere coepit, priorum tragicorum artem in sublimibus tantum ac gravibus personis describendis versantem ad communis vitae mollitie et animi infirmitate effeminatae conditiones depingendas deduxit. Philosophorum praeterea, qui tum erant, disciplina eruditus non potuit non Agamemnonem et Creontem et alios a pristino morum simplicitate et sanctitate alienissimos talesque inducere, quales eius aetatis qua ipse fuit, homines erant. Itaque heroum loco, quorum magnitudinem et dignitatem Aeschylus et Sophocles mirum quantum auxerant et exornaverant, apud Euripidem in scenam prodeunt homines non solum omni superstitione vacui atque ad Atheniensium sentiendi cogitandique rationem conformati, sed etiam cupiditatibus plerumque et sui amore aliisque vitiis insignes et ad viles contemnendasque artes descendentes. Quo factum est, ut „Menelaus apud eum sit homo de trivio, Ulyxes ingenium suum plane videatur exuisse; nam in Hecuba initio agrestis ac saevus est, tum mansuetus et mitis, neutrum necessitate poscente.“ [29])

Quo in genere ab Euripide prorsus discrepat Aeschylus ita, ut, qui apud eum exsistunt homines, in vitium Euripideae humilitati et vilitati contrarium incurrere videantur. Nam tanto plerumque corporis robore, tanta animi fortitudine et virtute utpote heroica aetate

[26]) Arist. Poet. c. XIII.

[27]) Arist. Poet. c. III.

[28]) Arist. Poet. c. XXVI.

[29]) Cf. Wuellneri comment. p. 1113.

periculorum ac terrorum plenissima viventes excellunt, ut humanarum virium fines longe egrediantur nec scias, utrum in deorum an mortalium numerum sint referendi. Verumtamen hoc non ita premam, ut eos Aeschylearum fabularum naturae sententiarum granditate et maiestate verborum insigni convenire negem.

Iam vero, ut ad Sophoclem redeamus, quomodo is in personarum descriptione non minus, quam in totius tragoediae compositione iustum aptumque modum invenerit, Homeri artem et exemplum imitatus, videndum est. Audiamus imprimis veterum de hac re testimonia, ac primum quidem grammatici illius, qui vitam Sophoclis scripsit. Is eam ipsam ob causam Sophoclem Homeri discipulum vocatum esse refert, quod „*ἠθοποιεῖ καὶ πυκτίλλει καὶ τοῖς ἐπινοήμασι τεχνικῶς χρῆται, Ὁμηρικὴν ἐκμάττομενος χάριν*, et paullo post, *οἶδε δὲ καιρὸν συμμετρῆσαι* sqq. Accedit Dionysius Halicarnassius, qui in libro *περὶ τῆς τῶν ἀρχαίων κρίσεως* haec habet: [30]) *Σοφοκλῆς δὲ ἐν τοῖς πάθεσι διήνεγκε, τὸ τῶν προσώπων ἀξίωμα τηρῶν. Εὐριπίδης μέν γε οὐ τὸ ὅλον ἀληθὲς καὶ προσεχὲς τῷ βίῳ τῷ νῦν ἤρεσεν· ὅθεν τὸ πρέπον καὶ κόσμιον πολλαχοῦ διέφυγε· καὶ οὐχὶ τὰ γεννικὰ καὶ μεγαλοφυῆ τῶν προσώπων ἤθη καὶ πάθη, καθάπερ Σοφοκλῆς, κατώρθωσεν· ἰὲ δέ τι ἄσμενον καὶ ἄνανδρον καὶ ταπεινόν, σφόδρα ἰδεῖν ἐστιν αὐτὸν ἠκριβωκότα.*

Atque revera Sophocles semper et ubique decorum quod dicitur ita observavit, ut nemo Graecorum poetarum hac in re cum eo comparari possit nisi Homerus. Nam quemadmodum in Homero deorum filii, incredibili paene robore et miranda dignitate insignes, tamen omnino rerum humanarum finibus continentur et vulgarium hominum simulacra, sed felici poetae artificio ad maiorem amplitudinem et generositatem aucta exhibent: [31]) ita Sophoclis personae, ex priscae probitatis et fidei aetate desumptae nec obscuro ignobilique loco, sicut fere Euripideae, natae nec quotidianae vitae vitiorumque sordibus infectae sunt, sed ingenuo virtutis et iustitiae amore inflammatae non nisi ferventiore quodam animo in errorem vel culpam incidunt nostro quidem iudicio saepe levem, sed fati necessitate puniendam. Apud utrumque personarum mores ita feliciter temperati sunt, ut et dissimiles sint hominibus, qui vulgo sunt, nec modum humanum excedant; apud utrumque heroes tanquam ad perfectius quoddam hominis exemplum conformati humane sentiunt, cogitant, errant, sed animi magnitudine morumque castitate praestantes libidinum turpitudini resistunt et quasi virtutis et decoris splendore perfunduntur.

Ipsam autem personas describendi rationem, qua Sophocles usus est, si respicimus, hac quoque in re miram quandam inter eum et Homerum similitudinem intercedere apparet. Omnes enim, qui apud utrumque poetam partes aliquas obtinent, tam ingeniose et subtiliter paucis plerumque versiculis adumbrati sunt, ut in tanta hominum varietate uniuscuiusque mores et ingenium, quidquid agunt vel loquuntur, facile agnoscas. Sed ne in hoc loco, qui disputationi vel amplissimae satis magnam materiam praebet, diutius moremur, praesertim cum omnes de hac Sophoclis et Homeri laude consentire videam, [32]) ad id, quod volumus, perspiciendum unum Aiacem Sophocleum commemorasse satis duco, quem ad Homerici exempli similitudinem conformatum a nullo maiore arte et naturae veritati magis conveniente

[30]) p. 423 ed. Reiske.
[31]) Cf. Loebell, Weltgeschichte I. p. 534.
[32]) Cf. imprimis Wuellneri comm. p. 1109, et Lechneri comm. p. 12 sqq.

describi vel apertius nobis ante oculos poni posse, vix quisquam est, qui infitietur. Apud Homerum etsi nullo loco describuntur ac depinguntur eius mores et ingenium, tamen eum ex levibus quibusdam indiciis cognoscimus virum immanem, horridum, corporis viribus fretum, virtutis conscientia elatum, deorum auxilium contemnentem. Et quantam animi contumaciam adhibet etiam tum, cum est apud inferos! Ulyxes postquam Circae iussu ad inferos descendit, ut Tiresiam, qua fortuna in posterum usurus esset, consuleret, ceteri heroum manes proprius ad eum accedunt deque suis, quos in terra reliquerunt, sciscitantur. Aiax non item:

Οἴη δ' Αἴαντος ψυχὴ Τελαμωνιάδαο
νόσφιν ἀφεστήκει, κεχολωμένη, εἵνεκα νίκης,
τήν μιν ἐγὼ νίκησα, δικαζόμενος παρὰ νηυσίν,
τεύχεσιν ἀμφ' Ἀχιλῆος.

Atque tametsi Ulyxes cōmiter blandeque eum alloquitur et omnem fortunae eius adversae culpam in Iovis iram Argivis infestam transfert, ille tamen vere atrocium hominum more ne morte quidem placatus nihil respondet:

ὣς ἐφάμην· ὁ δέ μ' οὐδὲν ἀμείβετο, βῆ δὲ μετ' ἄλλας
ψυχὰς εἰς Ἔρεβος νεκύων κατατεθνηώτων.

Sophocles igitur, quales in hoc Necyiae loco eius mores quasi praeformatos et designatos invenit, tales in tragoedia religiose servavit similique brevitate usus est. Paucis verbis eum ante oculos ponit virum secundum Achillem optimum (v. 1341), robore praeter ceteros insignem (v. 205. 301. 1250.), ex virtute magnos sibi spiritus sumentem (v. 421-426, 550-51), se etiam diis non adiuvantibus laudem sibi paraturum confidentem (v. 767-69, 774-775). Etiam apud eum Aiacem iram in Atridas conceptam ne mortis quidem momento ponentem, sed secum ad inferos ferentem videmus, v. 835 sqq. [33]) Quam Sophoclis artem ille vitae Sophocleae auctor recte perspexit, cum dicat: *οἶδε δὲ καιρὸν συμμετρῆσαι καὶ πράγματα, ὥστ' ἐκ μικροῦ ἡμιστιχίου ἢ λέξεως μιᾶς ὅλον ἠθοποιεῖν πρόσωπον· ἔστι δὲ τοῦτο μέγιστον ἐν τῇ ποιητικῇ δηλοῦν ἦθος καὶ πάθος.* Iam ex his, quae attuli, satis perspicuum esse puto, etiam in hac re magnam Sophocli similitudinem esse cum Homero, quem, ut hunc unum afferam, Aristoteles praecipue ea arte excellere contendit, quod omnia tamquam viva repraesentare et, quae sentiat, efficaciter et dilucide describere sciat. [34])

Sed ne illud quidem praetermittendum videtur, Sophoclem primarias personas, cum per tragicae artis naturam, quales vellet, fingere ei liceret, prout fabulae cuiusque ratio postularet, tamen intactas et immutatas ex Homero sumere maluisse. Documento est praeter Aiacem, de quo supra dixi, Agamemno; nam inter Homericum et Sophocleum nullum intercedit discrimen. Etiam Neoptolemi ingenium ad patris Achillis similitudinem descriptum esse iure contendunt. [35]) Quin etiam Thersites Sophocleus idem est atque Homericus. Imprimis vero Ulyxes, cuius persona Sophocles libenter usus est, iisdem virtutibus, quibus

[33]) Qui plura de Aiacis Homerici et Sophoclei similitudine legere volet, accuratius eam rem expositam inveniet in commentatione a Math. Engeln progymnasii Iuliacensis annalibus a. 1860—1861 praemissa quae inscribitur „Der Aiax des Sophocles verglichen mit dem Homerischen".
[34]) Arist. Rhet. III. c. 11, p. 595.
[35]) v. Lechnerum p. 11 sqq.

apud Homerum, eminet, et animi magnitudine et generositate et prudentia calliditateque laudabilis. In Aiacis quidem fabula, quas partes Sophocles Ulyxi tribuit in certamine Agamemnonis et Teueri componendo, eae prorsus congruunt cum Homerica morum eius descriptione. Quid quod huic eadem nominis origo, quae ab Homero, [36]) etiam a Sophocle tribuitur. Qua de re grammaticus ille, quem iam saepe laudavimus, haec habet: *παρετυμολογεῖ γάρ*, inquit, *καθ' Ὅμηρον καὶ τὸ ὄνομα τοῦ Ὀδυσσέως.*

Ὀρθῶς Ὀδυσσεὺς εἰμ' ἐπώνυμος κακοῖς·
πολλοί γὰρ ὠδύσαντο δυσσεβεῖς ἐμοί,

quae verba ex Ulyxe furente desumpta esse probabile est.

Iam in hac de Sophoclearum personarum ingenio et moribus Homericis similibus quaestione unus superest locus, quem, cum vel maxime huc pertinere arbitrarer, tamen nondum attigimus, quod eum separatim tractare satius duxi. Is autem locus est de deorum in Sophoclis fabulis natura. Nam hi quoque diversa ab Aeschylo et Euripide ratione ad Homeri exemplum descripti sunt a Sophocle. Quod quo melius perspiciamus, paullo altius repetendum videtur.

Constat pulcherrimos illos Graecorum de diis cum genere humano arcte coniunctis mythos, quibus heroica imprimis carmina abundare videmus, cum antiquissimis temporibus e naturae contemplatione orti essent, poetarum maximeque Homeri ingenio et arte tam praeclare conformatos esse, ut non sine causa Herodotus [37]) dixerit Hesiodum et Homerum deorum, quos Graeci postea habuerint, inventores fuisse, quippe qui sua cuique nomina imposuissent, honores et artes distribuissent, formas et figuras descripsissent. Quae enim antea a Pelasgis tanquam naturae numina cultae erant deorum imagines, cum illis devictis expulsisque Graeca contemplandi ratione magis magisque ad humanae naturae similitudinem conformari coeptae essent, ab epicis demum poetis, imprimis ab Homero, perfectae et in eam formam redactae sunt, quae et Graecorum ingenio et totius poesis naturae quam maxime conveniret. Iam humanis ab eo non modo virtutibus et laudibus, sed etiam vitiis et cupiditatibus induti [38]) dei idonei redditi sunt, qui praesentes rebus humanis intercederent et, prout animus ac voluntas ferebat, in has vel illas partes hominum inter se pugnantium discederent. Quo factum est, ut pristini illi dei, virium in rerum natura positarum tanquam imagines quaedam vel symbola, ut nos dicere consuevimus, ex omnium cogitatione ac memoria exciderent atque in eorum locum dei illi epici vel *ἀνθρωπόμορφοι* succederent. Horum vero natura deorum, quos etiam Homericos appellare licet, quamquam in universum sequentibus poetis iidem manserunt quasi *οἱ πρῶτοι τύποι*, tamen a singulis maximeque tragicis poetis pro suo cuiusque ingenio variata est.

Atque ut primum de Aeschylo dicamus — nam et Aeschyli et Euripidis de deorum natura opinionem hoc loco considerandam esse puto, quo magis, quanta hac in re Sophoclis cum Homero similitudo sit, eluceat —, illud nullo pacto negari potest, eum, licet maiorem animi pietatem et divinae maiestatis verecundiam habuerit, quam qui deorum contemptor ac spretor iure possit haberi, tamen et a vulgi de diis opinione abhorruisse et ab aliis summisque eiusdem aetatis viris, ut Sophocle et Pindaro, quorum religio superstitiosa paene putanda

[36]) Od. XIX, 407 sqq. cf. Eustath. ad h. l. p. 1871, 12 sqq.
[37]) Her. II, 53.
[38]) Arist. Poet. c. XXV.

est, plane dissensisse. Certe in poematis suis parum verecunde deos tractare videtur. Iovem quidem, ut hoc afferam, ut severum quendam tyrannum, humili paene et contemnendo ingenio praeditum describere non veretur. [39]) Quod non est, cur magnopere miremur, modo poetarum deos separemus ab iis, qui vulgo colebantur. Poetis enim deos, quorum interventu saepe ad actionis, ut ita dicam, nodum vel constringendum vel expediendum opus erat, tales describere licebat, quales fabularum ratio postulabat, nonnunquam etiam maiestate divina parum dignos, salva ceteroquin ea, qua apud multitudinem fruebantur, verorum deorum dignitate. Quo confirmato, de quo nemo, qui aliquam cum veteribus poetis familiaritatem contraxit, dubitare potest, perspicitur, quomodo etiam Sophocles, pius ille deorum cultor, Minervam deam in primo Aiacis scena nostro quidem iudicio parum honeste atque adeo illiberaliter se gerentem facere potuerit. Quid? ipse Homerus, qui „*παραδιδοὺς τραύματα θεῶν, στάσεις, τιμωρίας, δάκρυα, δέσμα, πάθη πάμφυρτα τοὺς μὲν ἐπὶ τῶν Ἰλιακῶν ἀνθρώπους, ὅσον ἐπὶ τῇ δυνάμει, θεούς, τοὺς δὲ θεοὺς ἀνθρώπους πεποιηκέναι*“ Longino videtur, [40]) nonne sequentis aetatis poetis insigne huius rei praebuit? An apud eum Iuno, dum Iovem adulterum ulcisci ac decipere studet, spretae dignitatis dolore et iracundia et calliditate mortalium muliercularum moribus est superior? [41])

Sed redeamus ad Aeschylum. Quod eum cum vulgari hominum de diis opinione non consensisse supra diximus, multis id indiciis confirmatur. [42]) Quae omnia hoc loco colligere, quid attinet? Illud certe dubitari nequit, quin talium deorum, quales tum vulgo in honore erant, opinio eius mentem non imbuerit; immo idem ei persuasum fuisse videtur, quod Xenophani, unum esse deum nec forma nec mente cum mortalibus comparandum, ac nefas esse deos tanquam genitos et mortuos cogitare. Veri autem dei vestigia in conscientiae stimulo, in sapienti et aequabili rerum ordine, in aeterna iustitia ab eo cognita esse multae et singulares eius voces et inventiones dramaticae comprobant. [43]) Itaque Aeschylus quamquam non is fuit, qui philosophi partes suscipiens omni superstioni tanquam bellum indiceret, sed omnibus de deorum natura dubitationibus nondum remotis multis in rebus iisdem, quibus Atheniensium populus, opinionibus etiam tum deditus fuisse cogitandus est, tamen haud dubios communis Graecorum religionis errores, quantum id quidem per tragoediae fines licuit, impugnare a se non alienum esse arbitratus, ut Welckerus l. l. egregie exposuit, „interdum velut alter quidam, sed sublimis apparet Lucianus, quippe qui ineptas mythorum partes consulto aperiat, deorum fictorum indignitatem atque humilitatem commonstret, civium mentes iis de deorum natura cogitationibus imbuere studeat, in quas nec contemptorum calumniae nec derisorum sales cadant“. Idem vir doctissimus iure affirmat [44]) Aeschylum propriam sibi doctrinam et religionem conformasse ad mysteria Eleusinia, ad quae a poetarum diis tanquam expulsa pristina illa numina e rerum contemplatione profecta confugerint. Quod non solum aperte significat Aristophanes in Ranis (v. 886.), sed multi etiam in ipsius operibus

[39]) Cf. Welcker, Tril. Aesch. p. 90.
[40]) Longin. *περὶ ὕψους* IX, 14.
[41]) Cf. Hom. Il. XIV. 142—300.
[42]) Cf. Welcker, Tril. Aesch. p. 102 sqq.
[43]) Cf. W. v. Humboldt in iis, quae Agamemnonis Aesch. interpretationi praemisit.
[44]) p. 104.

inveniuntur loci, e quibus cum antiquiori et sublimiori theologiae addictum Eleusiniam disciplinam et religionem in se recepisse manifestum est.

In Euripide contra ex recentiorum philosophorum schola profecto dubitatio quaedam et meditatio de internis causis et rationibus mythorum, quos haud raro inter se pugnare videret, conspicitur. Itaque apud eum in religionis locum philosophia i. e. subtilis quaedam rerum contemplatio, qualis philosophorum propria esse solet, successit, qua in re ad aetatis illius rationem voluntatemque se accommodavit, quoniam antiquorum mythorum dogmata, oraculorum fides et quae huiusmodi sunt ei, quae tum erat, sentiendi cogitandique rationi non iam placere intellexerat. Quod cum ita esset, cum Euripides ab antiqua religione descivisset atque ut Anaxagorae et Socratis discipulus de rerum natura ac mundo libenter philosopharetur, mythorum quasi fundamenta labefactavit et deorum, quos in scenam producit, naturam et ingenium prorsus immutavit.

Iam ut eo, unde digressi sumus, revertamur et, Sophocleorum deorum natura quae sit, cognoscamus, ex hac cum Aeschylo et Euripide comparatione iam satis intelligi posse puto, quam ob causam etiam in hoc genere Sophocles Homeri imitator dici possit. Etenim cum pro summa qua erat pietate et reverentia erga deos, ob quam in magno eorum amore et deliciis fuisse fertur, quaeque in causa fuit, ut fabulosae illae de corona aurea et de pacatis tempestatibus orirentur, fidem ac religionem a maioribus acceptam ita servasse videmus, ut daemones etiam retineret, neque id aliam ob causam, quam quod in eorum naturam non inquisiverat. A meditatione enim et in rerum causas investigatione, quo erat ingenio, omnino abhorrens acceptam de historia fabulari deque diis antiquitus opinionem servare, quam novam sapientiam amplecti malebat. Quae divinarum rerum verecundia luculentissime in vaticiniis summa fide a Sophocle acceptis et observatis conspicitur; quae ei non in temeraria quadam fortuitarum rerum divinatione posita esse, sed ex animo divinae providentiae et consiliorum aeternorum quasi conscio profecta videntur. In tralaticiis igitur ac solitis de deis opinionibus, quales ab Homero conformatae in omnium ore erant, acquiescens id vel maxime egit, ut piam erga deos verecundiam et religiosam legum, quae sanxerunt, observationem commendaret, pietatem erga deos initium sapientiae esse ratus. Quam vere egregieque apud eum Antigone deo potius, quam hominibus obtemperandum esse dicit, sic se apud Creontem defendens (Ant. vv. 453—60):

„*Οὐδὲ σθένειν τοσοῦτον ᾠόμην τὰ σὰ*
κηρύγματ', ὥστ' ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν
νόμιμα δύνασθαι θνητὸν ὄνθ' ὑπερδραμεῖν·
οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθὲς, ἀλλ' ἀεί ποτε
ζῇ ταῦτα, κοὐδείς οἶδεν, ἐξ ὅτου φάνη·
τούτων ἐγὼ οὐκ ἔμελλον ἀνδρὸς οὐδενὸς
φρόνημα δείσασ', ἐν θεοῖσι τὴν δίκην δώσειν"!

Quam praeclare in Aiacis fabula (v. 118—113.) Ulyxes et Minerva de humanarum rerum infirmitate, de summa deorum potentia, de insolentiae superbiaeque poena disserunt! Ad quem locum aptissime scholiasta haec addit: *παιδευτικὸς ὁ λόγος καὶ ἀποτρεπτικὸς ἁμαρτημάτων — καὶ τοῦτο δὲ Ὁμήρου παίδευμα, ὅτι, ἐφ' οἷς αὐχοῦσί τινες, τούτων στερροῦνται παρὰ τῶν θεῶν, ὡς καὶ Θάμυρις τῆς μουσικῆς* (Il. II. 595) *καὶ Νιόβη τῶν τέκνων* (Il. XXIV, 601 sqq.)

§. IV.

De Sophoclis dicendi genere.

Iam ad id, quod tertio loco posuimus, tranagredientibus ac quaerentibus nobis, quatenus poeta ille, quem in argumentis, in componendi arte, in personarum descriptione tam studiose Homeri vestigia persecutum esse vidimus, eundem in dicendi genere imitatus sit, non necessarium videtur Homerici sermonis praestantiam, quam tantam admiramur, copiose exponere et praedicare, sed eas laudes, quas Sophocles cum eo communes habet, attingere et, sicut res postulabit, paucis illustrare satis esse puto.

Veteres cum tria dicendi genera statuere soleant, unum, quod sublime, grande, severum, (*αὐστηρόν*), alterum, quod suave, molle, politum (*γλαφυρόν*), tertium quod medium quoddam (*μέσον*) vocant, [45]) quo utrumque coniunctum sit, omnesque scriptores ad hoc vel illud genus referre consueverint, rectissime in Aeschylo *τὴν αὐστηρὰν ἁρμονίαν*, in Euripide *τὴν γλαφυρὰν*, in Homero autem et Sophocle *τὴν μέσην* agnoscunt. [46]) Aeschylus enim, ut est apud Aristophanem, *πυργώσας ῥήματα σεμνά* [47]) verborum granditate ac sublimitate cum personarum, quas in scenam producit, ingenio congruente ita excellit, ut idem, quod Horatius de Pindaro, [48]) de hoc liceat praedicare:

Monte decurrens velut amnis, imber
Quem super notas aluere ripas,
Fervet immensusque ruit profundo
Pindarus ore.

Quare lepide ab Aristophane *κρημνοποιός* et *στόμφαξ* [49]) appellatur. In Euripideis contra diverbiis etsi omnino simplicitas quaedam ad naturam et consuetudinem quotidiani sermonis expressa conspicitur, tamen ea non multum abhorret a loquacitate nec a prosae orationis ieiunitate nisi rhetorici cuiusdam splendoris affectatione differt.

Homerus igitur et Sophocles, ut veteres iudices volunt, inter lyricam vehementemque Aeschyli audaciam et inter rhetoricam politamque Euripidis loquacitatem medium quendam locum obtinent et, quae in utroque laudabilia sunt, coniungunt. Et revera apud eos, prout rerum et personarum natura fert, modo sublime dicendi genus, modo tenue et suave usurpatum invenias. Atque sublimitatem quidem Homeri, quid attinet multis verbis demonstrare, cum ea sit divini poetae laus, quam omnes et veteres et recentiores existimatores honorificentissima admiratione prosequantur? [50]) Quid? quod Phidias dixisse fertur veram Jovis Olympii imaginem mente se concepisse magnifica et sublimi Homeri descriptione? Eandem autem egregie assecutus est Sophocles. [51]) Nam quamquam omnino Aeschyli audacia et vehementia abstinuit, granditati et sublimitati temperavit tragicaeque artis finium peritior in tranquilliore et aequabiliore dicendi genere versatur, tamen eum interdum in concita-

45) Cf. Dionys. Halic. de admir. vi Demosth. c. XXXVIII. p. 1069 sqq. — De compos. c. XXI, sqq.
46) Dionys. Hal. de compos. c. XXII—XXIV. — De adm. vi Dem. c. XLI, p. 1083.
47) Aristoph. Ran. v. 994.
48) Carm. l. IV, 2, 5 sqq.
49) Aristoph. Nub. v. 1367.
50) Cf. imprimis Dionys. Long. *περὶ ὕψους* XXXIII, 6 sqq. IX, 8, sqq.
51) Cf. Dionys. Halic. l. l.

tioribus animi commoti affectibus describendis ad illius excelsiorem ac sublimiorem orationem sese efferre videmus.

Nec minus suavitatem utriusque poetae cum granditate coniunctam iure admiramur. Quid enim dulcius ac suavius, quid ad animum commovendum efficacius, quam apud Homerum Hectoris et Andromachae colloquium, apud Sophoclem Tecmessae et Aiacis oratio? Qui loci cum non solum suavitate orationis, sed etiam rebus ipsis sententiisque mire inter se concinant, a re, quam quaerimus, non alienum videtur, eos accuratius inspicere illaque, in quibus manifesta imitatio exstat atque eminet, huc transscribere, quo magis, quanto studio Sophocles Homerum amplexus sit, intelligatur. Homerus Andromachen, quo loco Hectoris misericordiam excitat precibusque eum fatigat, ne belli periculis se obiiciat, cum alia tum hoc querentem facit (Il. VI, 459 sqq.):

καί ποτέ τις εἴπῃσιν ἰδὼν κατὰ δάκρυ χέουσαν
„Ἕκτορος ἤδε γυνή, ὃς ἀριστεύεσκε μάχεσθαι
Τρώων ἱπποδάμων, ὅτε Ἴλιον ἀμφεμάχοντο.“

Similiter apud Sophoclem Tecmessa lamentatur (Ai. v. 500 sqq.):

„καί τις πικρὸν πρόσφθεγμα δεσποτῶν ἐρεῖ
λόγοις ἰάπτων, ἴδετε τὴν ὁμευνέτιν
Αἴαντος, ὃς μέγιστον ἴσχυσε στρατοῦ,
οἵας λατρείας ἀνθ' ὅσου ζήλου τρέφει.
τοιαῦτ' ἐρεῖ τις· κἀμὲ μὲν δαίμων ἑλᾷ,
σοὶ δ' αἰσχρὰ τἄπη ταῦτα καὶ τῷ σῷ γένει.“

Et quae eadem paullo post commemorat (v. 514.):

„Ἐμοὶ γὰρ οὐκ ἔτ' ἔστιν, εἰς ὅ τι βλέπω,
πλὴν σοῦ· σὺ γάρ μοι πατρίδ' ἤστωσας δορί,
καὶ μητέρ' ἄλλη μοῖρα τὸν φύσαντά τε
καθεῖλεν Ἅιδου θανασίμους οἰκήτορας·
τίς δῆτ' ἐμοὶ γένοιτ' ἂν ἀντὶ σοῦ πατρίς;
τίς πλοῦτος; ἐν σοὶ πᾶσ' ἔγωγε σῴζομαι“,

ea nonne ad pulcherrimi illius loci Homerici similitudinem expressa sunt, ubi Andromache tam flebiliter queritur (Il. v. VI, 410 sqq.):

„Ἐμοὶ δέ κε κέρδιον εἴη
Σεῦ ἀφαμαρτούσῃ χθόνα δύμεναι· οὐ γὰρ ἔτ' ἄλλη
Ἔσται θαλπωρή, ἐπεὶ ἂν σύγε πότμον ἐπίσπῃς,
Ἀλλ' ἄχε'· οὐδέ μοι ἔστι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ·
Ἦτοι γὰρ πατέρ' ἀμὸν ἀπέκτανε δῖος Ἀχιλλεύς sqq.
— Ἕκτορ, ἀτὰρ σύ μοί ἐσσι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ
Ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης“.

Sed eius modi loci, qui huc pertinent, tam frequentes sunt, ut, si graviores tantum afferre velim, verendum sit, ne eos fines ac terminos, quibus huiusmodi libelli circumscribi solent, excedam. Satis erit ex plurimis veterum de Sophoclis suavitate testimoniis [52]) illius

[52]) Cf. Schol. ad Oed. Col. v. 18., ad Aiac. 1199. — Philostr. p. 858 ed. Morell. Par. 1608. — Athen. XIII, p. 598.

vitae Sophocleae scriptoris verba commemorare; quae sunt haec: *μόνος δὲ Σοφοκλῆς ἀφ' ἑκάστου τὸ λαμπρὸν ἀπανθίζει· καθὸ καὶ μέλιττα ἐλέγετο. ἤνεγκε δὲ τὰ μικτά· εὐκαιρίαν, γλυκύτητα, τόλμαν, ποικιλίαν.* [53])

Tertia denique virtus, quae in Homero et Sophocle aeque laudatur, est orationis perspicuitas vel evidentia, quam *ἐνάργειαν* Graeci vocant. Quae quanta in Homero sit, Aristoteles praeclare testatur, qui solum Homerum verbis uti dicit *ἐναργείᾳ κινουμένους.* [54]) Atque profecto eius accurata rerum descriptio cum nulla alia re potest conferri nisi cum puro ac sereno Graeciae coelo. Itaque suo iure affirmat Frider. Schlegel [55]) „eas virtutes, quibus Homerus vel maxime admirabilis exstiterit, esse evidentem et vivam quandam veritatem, pulchram imaginum et colorum concinnitatem, summam rationis et artis perspicuitatem, quantam quidem per puerilem prope simplicitatem et felicissimam imaginandi facultatem assequi licuerit, genus dicendi esse tam accuratum et copiosum, ut loquax interdum nominari possit neque tamen legentium animos fatiget propter singularem linguae venustatem et volucrem quoddammodo narrationis facilitatem“. Quam Homericae dictionis *ἐνάργειαν* felicissime aemulatus est Sophocles. Apertissime id cognoscitur ex iis locis, in quibus earum rerum, quae describuntur, similitas quaedam inest; velut in his Sophoclis versibus (Ai. v. 308 sqq.):

ἐν δ' ἐρειπίοις
νεκρῶν ἐρειφθεὶς ἕζετ' ἀρνείου φόνου
κόμην ἀπορῖξ ὄνυξι συλλαβὼν χερί.

Quo loco iam scholiasta Homericam esse sentit *ἐνάργειαν*; annotat enim: *Θαυμαστῶς δὲ ὑφ' ὄψιν ἤγαγε τὰ πράγματα, μεταξὺ τῶν πτωμάτων τὴν φαντασίαν ἐπιδεικνύς, οἷον καὶ τὸ παρ' Ὁμήρῳ περὶ τοῦ Κύκλωπος* (Od. IX, v. 298):

Κεῖτ' ἔντοσθ' ἄντροιο τανυσσάμενος διὰ μήλων.

Interdum etiam quo dilucidius efficaciusque rem exprimat, singulorum verborum vim et potestatem vocibus auget, quae per se supervacaneae videri possunt, vel ita perspicuitati consulit, ut ne repetere quidem ea, quae protulit, sed aliis verbis dubitet; id quod ex animi quadam tranquillitate proficisci, qua Homerus et Sophocles omnia cogitet et exprimat, Wuellnerus recte contendit. [56]) Quod ut paucis exemplis illustrem, apud Homerum solitae sunt huius generis locutiones: *ἐν ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι, μερμηρίζειν κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν, δέξασθαι χειρὶ κύπελλον*; apud Sophoclem similia inveniuntur, velut *μόρον κατεργάσασθαι, χεροῖν* (Ant. v. 57. cf. Ai. v. 661), *ὕπνῳ εὕδειν* (Oed. tyr. v. 65.) aliaque similia. Repetendi autem consuetudinem, qua, quod affirmative expressum est, idem per inversionem pronuntiatur, ut, quo diutius insistas aliqua re, eo res ipsa certior fiat, cum apud Homerum frequentissima sit, Sophoclis etiam esse Eustathius multis exemplis confirmavit. Verba eius sunt haec [57]): *ἰστέον δέ, ὅτι τὸ ‚οὐδ' ὑπὲρ αἰσαν' ταὐτόν ἐστι ‚τῷ κατ' αἶσαν'· διὸ ἐπιμονὴν ὁ λόγος ἔχει τὴν κατ' ἦθος ἀληθευτικήν· καὶ ὅτι ὅμοιον καὶ παρὰ τῷ φιλομήρῳ Σοφοκλεῖ τὸ ‚γνωτὰ κοὐκ ἀγνωτά μοι'* (Oed. tyr. v. 58), *καὶ τὸ ‚ἡδὺς οὐδὲ μητρὶ δυσχερής'* (El. v. 929) *καὶ τὸ ‚οὔτε*

[53]) Cf. Lessing, Leben des Soph., p. 158.
[54]) Arist. de Rhet. l. III, c. 11. t. II, p. 595.
[55]) Fr. Schlegel, Gesch. der alten und neuen Litter. Werke, I, p. 31—33.
[56]) In Comment. s. l. p. 1115, 1117.
[57]) Eustath. ad Il. VI, 333, p. 645, 14.

τι τοῦ μὴ θανεῖν προμηθὴς' τό τε ‚μὴ βλέπειν ἕτοιμα' (El. v. 1078 sqq.). Quibus addere licet Ai. v. 289. El. v. 131. 222. Oed. tyr. 1230 (ἐκόντα κοὐκ ἄκοντα).

Expositis igitur his communibus Homerici et Sophoclei sermonis virtutibus nihil iam aliud relinqui videtur, in quo imitatio cerni possit, nisi singulorum vocabulorum usus, in quorum aut vi et potestate aut formis et constructionibus similitudinem quandam exstare suspiceris. Atque ne eius quidem vestigia omnino desunt. Quod non est, cur miremur, quoniam ei poetae, qui tantam in Homero imitando operam posuerit, fieri non poterat, quin multa et singula verba et verborum structurae in memoria haererent, quibus sive imprudens sive dedita opera ad easdem res exprimendas uteretur. Sed summam in hoc genere cautionem adhibendam esse apparet, ne talia Homeri imitationem prodere statuamus, quae ex communi fonte in omnium tragicorum sermonem manaverunt. Constat enim, quod iam supra monui, omnes tragicos poetas, cum epicis poetis se adiungerent, promiscue ex illorum sermone multa desumpsisse, ita ut vix pro certo affirmari possit, hanc illamve Homericam loquendi consuetudinem vel formam unius Sophoclis propriam esse. Qua in re tum demum aliquid effici posse perspicuum est, quum non solum singula, quotquot sunt, Homeri et Sophoclis vocabula summa cura et assiduitate comparaveris, sed etiam ea, quae per totum Aeschylum et Euripidem Homerica inveniuntur, diligenter collegeris. Huc pertinent talia, qualia Porsonus in praefatione ad Euripidis Hecubam collegit: *ξεῖνος, μοῦνος, γούνατα, κοῦρος, δουρί, αἰετός, μέσσος, πολλός,*[58]) praeterea *κουλιῶν* in Aiace v. 730, in Electra v. 691 *πεντάεθλα*, in Trachiniis v. 495 *κεινόν* pro *κενόν*, v. 388 *μίν*, in El. v. 21 *ἐμέν*, in Aiace v. 679 et Trach. 24 *ἤμην* et sexcenta alia, tum, quae apud epicos poetas frequentissima est dativi pluralis in prima alteraque declinatione terminatio *σι* vel *σιν*, omissum denique epicorum more augmentum, praecipue in nuntiorum orationibus, quae fabularum partes *ἀγγελικαὶ ῥήσεις* vocantur.[59]) Nimirum haec omnia et huius generis similia in Aeschylo pariter et in Euripide atque in Sophocle invenias.

Idem dici potest de constructionibus grammaticis. Nam quid attinet unam alteramve in medium proferre, nisi persuasum tibi sit praeter Sophoclem neminem ea usum esse?

Alia est ratio epithetorum, quae cum Homeri et Homeridarum propria essent et diuturno usu quasi fixa et stabilita, vel sua sponte in Sophoclis orationem transiisse consentaneum est. Atque eorum quidem haud parvus est numerus. Sed ea repetere nolo, quae alii laudabili diligentia collegerunt; v. imprimis Lechneri commentationem (p. 24), unde disces ab utroque poeta Iovem dictum esse *ἀστεροπητήν*, Mercurium *Ἀργειφόντην*, Minervam *γλαυκῶπιν*, Martem *θούριον*, Ulixem *δῖον* et *πολυμήχανον*, Aegisthum *ἀνάλκιδα*, Mycenas *πολυχρύσους*, atque etiam appellativis quae dicuntur nominibus eadem saepe epitheta adiuncta esse, velut *αἴθωνι σιδήρῳ, βοῦς ἀγελαίας, ποντοπόρῳ ναΐ, ἑλίκεσσι βουσί, δνοφερὰ νύξ, ἀετὸς ὑψιπέτας, παλίντονα τόξα*, alia. Accedunt locutiones quaedam Homericae et figurae orationis, quas a Sophocle saepius quam ab aliis usurpatas esse non negaverim. Afferuntur talia: *ἐπίηρα φέρειν, κακότητα φέρειν, ὄξέα κλάζειν, χοὰς χέασθαι*, alia; v. Lechnerum p. 20 sqq. Sed multa huius quidem generis etiam in aliis tam poetis, quam prosae orationis scriptoribus

[58]) Cf. Erfurdt. ad Soph. Antig. v. 86.

[59]) Cf. Reisig. in coniect. in Aristoph. p. 78 sqq., ad Oed. Col. 1499. — Hermannus in praefat. ad Hec. p. 27 sqq. et Elem. doctr. metr. p. 52 et 121.

reperiuntur, ita ut periculum sit, ne ea, quae in omnibus tragicis occurrunt ad Homericam dicendi consuetudinem conformata, pro Sophocleis venditemus, nec ea ad comprobandam illam Sophoclis et Homeri similitudinem multum valere videntur; nisi quis tantum earum rerum numerum se effecturum sperat, ut recte fecisse Philostratus quidam, homo Alexandrinus, putandus sit, qui librum conscripsit *περὶ τῆς τοῦ Σοφοκλέους κλοπῆς.*[60])

Quamobrem hanc quoque quaestionis partem, quae summam diligentiam cautionemque requirat, praetermittendam esse duxi, iis quae supra exposui Sophoclem optimo iure *φιλόμηρον* dici satis demonstrasse mihi visus.

[60]) Cf. Wuellneri comm. p. 1106 sqq. — Lessings Werke, X. p. 139. Berl. Ausg.

Schulnachrichten.

I. Lehrverfassung.

Oberprima.

Ordinarius: Oberlehrer Prof. Dr. Saal.

1. **Religionslehre.** a. Katholische. Die Hauptpunkte der speciellen Glaubenslehre als Vollendung der in Unterprima begonnenen Apologetik. 2 St. Religionslehrer Dr. Bosen.

b. Evangelische. Bibelkunde A. u. N. T. nach dem Lehrbuch von Hollenberg. Allgemeine Repetition der Kirchengeschichte. 2 St. Divisionsprediger Hunger.

2. **Deutsch.** Geschichte der Litteratur des 17. und 18. Jahrhunderts. Lectüre und Erklärung von Göthe's Iphigenie. Aufsätze und Vorträge. Elemente der Psychologie. 3 St. Oberlehrer Dr. Stahl.

3. **Lateinisch.** Cicero de officiis I. II. III (zum Theil). Ausgewählte Oden aus dem 3. und 4. Buche des Horaz. Ausgewählte Epoden. Uebungen im Lateinsprechen angeknüpft an die Lectüre. Extemporalien und Pensa nach Dictaten. Aufsätze. 8 St. Der Ordinarius.

4. **Griechisch.** Thucydides Buch I. Schriftliche und mündliche Uebersetzungen aus dem Deutschen in's Griechische. 4 St. Der Ordinarius.

Hom. Il. lib. VI. VIII. XVI. XVIII. 1—500. XX. XXII. 2 St. Der Director.

5. **Französisch.** Lectüre aus Baumgarten's Chrestomathie. Racine's Esther. Uebersetzungen in's Französische nach Dictaten. Mündliche Uebungen im Anschluß an die Lectüre. 2 St. Oberlehrer Schaltenbrand.

6. **Hebräisch.** Judicum I—X. Ruth I. und einige Psalmen. 2 St. Religionslehrer Dr. Bosen.

7. **Geschichte und Geographie.** Geschichte der neuern Zeit und Uebersicht der brandenburgisch-preußischen Geschichte. Nach den Lehrbüchern von Pütz. 3 St. Oberlehrer Dr. Stahl.

8. **Mathematik und Rechnen.** Die Stereometrie. Wiederholungen aus der Planimetrie und Trigonometrie. Nach dem Lehrbuch von Ley. Der binomische Lehrsatz. Die Permutationen, Combinationen und Variationen. Schriftliche und mündliche Uebungen nach dem Uebungsbuche von Heis. 4 St. Oberlehrer Zons.

9. **Physik.** Die Erscheinungen und Anwendungen der verschiedenen Electricitäten. Die Optik. Nach dem Grundrisse von J. Müller. 2 St. Derselbe.

Unterprima.

Ordinarius: Oberlehrer Hemmerling.

1. **Religionslehre.** a. Katholische. Apologetik. 2 St. Religionslehrer Dr. Vosen.
b. Evangelische. Wie Oberprima.

2. **Deutsch.** Litteraturgeschichte, vorzüglich die erste klassische Periode, mit Proben. Lectüre von Schiller's Wilhelm Tell. Uebungen im mündlichen Vortrag. Dispositionsübungen. Schriftliche Arbeiten. Die Lehre vom Begriff und vom Urtheil. Einiges aus der empirischen Psychologie. 3 St. Der Ordinarius.

3. **Lateinisch.** Cic. Tuscul. Disput. I. und II. Cursorisch Livius XXII. und XXIII. Extemporalien und Pensa nach Dictaten. Aufsätze. Uebungen im Lateinsprechen angeknüpft an die Lectüre. 6 St. Der Ordinarius.

Ausgewählte Oden des Horaz aus lib. I. und II. 2 St. Der Director.

4. **Griechisch.** Plato's Apologie und Kriton und der Anfang des Phaedon. Erörterungen und Uebungen über wichtigere Punkte der Syntax. Schriftliche und mündliche Uebersetzungen aus dem Deutschen. 4 St. Der Director.

Hom. Il. lib. I. II. 1—483. III. IV. V. 2 St. Der Ordinarius.

5. **Hebräisch.** Combinirt mit Oberprima.

6. **Französisch.** Lectüre aus Baumgartens Chrestomathie. Im Sommer Montesquieu's Considérations sur les causes de la grandeur des Romains et de leur décadence. Wiederholungen aus der Syntax nach Plötz. 2 St. Oberlehrer Schaltenbrand.

7. **Geschichte und Geographie.** Geschichte und Geographie des Mittelalters. Nach dem Grundrisse von W. Pütz. 3 St. Prof. Dr. Saal.

8. **Mathematik und Rechnen.** Die Gleichungen des 2. Grades. Die Logarithmen. Die arithmetischen und geometrischen Progressionen. Zinseszinsrechnung. Schriftliche und mündliche Uebungen nach dem Uebungsbuche von Heis. Von den harmonischen Eigenschaften des Kreises. Vom Aehnlichkeitspunkt und der Potenz bei Kreisen. Auflösung geometrischer Aufgaben. Die ebene Trigonometrie. Nach dem Lehrbuche von Ley. 4 St. Oberlehrer Zons.

9. **Physik.** Die Gesetze von der Bewegung unter dem Einfluß beschleunigender Kräfte bei festen, flüssigen und gasförmigen Körpern. Magnetismus. Die Lehre von der Wärme. Nach dem Grundrisse von J. Müller. 2 St. Oberlehrer Zons.

Obersecunda.

Ordinarius: Oberlehrer Kratz.

1. **Religionslehre.** a. Katholische: Kirchengeschichte. 2 St. Religionslehrer Dr. Vosen.
b. Evangelische. In dieser Klasse befanden sich keine evangelischen Schüler.

2. **Deutsch.** Das Wichtigste aus der Stilistik und Rhetorik, insbesondere die Dispositionslehre, im Anschlusse an die Lectüre und die schriftlichen Arbeiten. Erklärung ausgewählter Gedichte aus dem Lesebuche von Pütz und Remacly. Aufsätze. Uebungen im mündlichen Vortrage. 2 St. Gymnasiallehrer Thürlings.